milis numero 13700000. seu cēties millecuplo dati. sed hic error partes $\frac{5046}{100000}$ unitatis nō exuperat. Si tandē per sinum supraſcriptum 1371564. quæſiveris logarithmū dati 137. is (per hanc, & 11. ſect. cap. 3.) deprehendetur eſſe 19866327——0000. Nec ſecus operandum erit ſigno + quando numerus figurarum datæ quantitatis excedit numerum figurarum ſinus ei ſimillimi, quod rarò contingit. ut, ſi quæratur numeri ſeu diſcretæ quantitatis 232702. logarithmus, invenies in tabula ſinum 23271. ei omnium ſimillimum, ſed unica deeſt huic figura. Hujus ergo logarithmo tabulato (per ſect. 11. cap. 3.) reperto, qui eſt 60631284. adjiciatur unica cyphra ſigno + interpoſito, & fiet 60631284+0. pro logarithmo numeri 232702. quæſito. Sed modus logarithmos æſtimandi omnium optimus eſt, quo primò creati ſunt: de quo alibi.

3. *Unde, ut ſuperiore prima ſectione logarithmi ſimplices & puri exhibentur: ita hac præcedente appoſitis cyphris impuri emergunt.*

4. *Similium ſignorum logarithmos addere, eſt aggregatum utriuſque cum ſigno communi exhibere.*

Vt ex additione —56312. ad —73495. provenient —129807. Itemque addito 4216. ad +5392. producuntur 9608. Sic 3219——00. ad 4360——000. faciunt 7579——00000.

5. *Diſſimilium ſignorum logarithmos addere, eſt differentiam eorum cum ſigno majoris numeri exhibere.*

Vt ex additione ——210. ad 332. producitur + 122. Item ex additione —— 210. ad 192. producitur ——18. Sic — 210. + 000. ad 332——00. ſunt 122+0. Item — 210——000. ad 192+00. ſunt ——18——0.

6. *Duorum logarithmorum, hic illius defectivus, ille autem hujus abundans propriè dicitur: cum & numerum, & cyphras communes ſeu eoſdem: ſigna verò omnia + & —— penitus contraria habeant.*

Vt abundantis 56312. defectivus eſt —— 56312. Item abundantis 56312——00. defectivus eſt ——56312+00. Sic abundantis 56312+00. defectivus eſt —— 56312 —— 00.

Abundan-

7. *Abundantem ſubſtrahere, eſt ejus defectivum addere.*

Vt ſubſtrahere abundantem 56312. ex —73495. idem erit, quod addere illius defectivum, qui (per 6.) eſt —— 56312. ad eundem —— 73495. fientque (per 4. præmiſſam)——129807. Sic ſubſtrahere 56312+00. ex ——73495——000. eſt idem quod addere ——56312+00. ad ——73495——000. fiuntque (per 4. & 5. præcedentes) ——129807——00000.

8. *Defectivum ſubſtrahere eſt ejus abundantem addere.*

Vt ſubſtrahere defectivum ——4216. ex + 5392. eſt idem quod addere 4216. ad 5392. & (per 4.) producere 9608. Sic idem eſt ſubſtrahere ——4216+00. ex 5392+0. quod addere 4216——00. ad 5392+0. & producere 9608——0.

9. *Logarithmum numero-tenus augere vel minuere ſalvo valore priſtino, eſt ad illum addere, aut ab eo ſubſtrahere quemvis ex logarithmis ſequentibus, ſcilicet 23025842+0. vel 46051684+00. vel 69077527 +000. vel 92103369+0000. vel 115129211+00000. nihil prorſus ſignificantibus.*

Vt ſit Logarithmus 39156——0. cui ſi addideris illorum quemvis, ut exempli gratia, 23025842+0. fiet inde 23064998. major numero, valore autem prorſus idem qui 39156——0. Namque hujus 39156——0. logarithmi, quantitas ſeu valor numeralis (per 12. & 13. ſect. ſeq. hujus) eſt 996092 0. à quibus deme unicam figuram ultimam, prout ——0. notat, & fiet 996092. Illius autem Logarithmi 23064998. valor numeralis (per ſeq ſect. 12. & 13. hujus) eſt etiam 996092. idem, qui prius.

Exemplum minutionis.

SIt Logarithmus 25451769. minuendus, à quo ſi ſubduxeris 23025842+0. relinquitur 2425927——0. ejuſdem valoris, cujus prior hic 25451769. Nam ſimplicis & puri Logarithmi 2425927. valor eſt decuplus valoris